

inconsistenti hoc terræ dono profero; habet Mathe-
matica, quæ cæteroqui solidas confert scientias,
etiã suum mercurium, Analiticam inquam stati-
ca virtute æquilibrantem potentias, Arithmetica
specie pollentem, principiumque uniuersalis Ma-
theseos; sed usque nunc soliditatis geometricæ im-
patientem. Cum esset in statu pure numerofo, qua-
lem eam nouerat Diophantus, usque adeo infor-
mis erat, ut confusis quantitatibus primitiuis, nil
nisi rem discretam, hancque in particulari tantũ,
cuderet, donec Franciscus Vieta prædictas quan-
titates contra violentiam concussionum ita symbo-
lis involuit ut etiam rem continuam, & in uniuers-
fali proderet. Verum quæ symbolis inclusi, tam va-
lide imaginationi præclusit, ut summo Francisci à
Schooten nixu, vix aliqua improbe, nedum in con-
cinnè inde excludi potuerint. Nunc tandem Exi-
mius Vir D. Antonius Hugo de Omerique, Analy-
sim olim à Platone ideatam, ad Geometricam con-
sistentiam, quod unice desiderabatur, perduxit,
cathegoriamque nobilium scientiarum hoc mercu-
rio in pretiosum metallum consolidato auxit. Rem
vere magnam! Non tamen, ut in magnis fieri so-
let, auget propterea apparatus, mediaue quibus
tantum finem assequitur, quin potius missas facit
Vietae species ut expeditius, materiam sub pro-
prijs coloribus contemplatur ut clarius, rerum
propensionibus attendit, ut connaturalius, incogni-
ta æque omnia in communi eorum causa insequi-
tur ut compendiosius, in simplicioribus quantita-

ti